Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2243

Quelle:
Copyright:

ris Archidyaconi Cracouien. Et nobilis Bilhelmi de barno Sacroſancte generalis Synodi Baſilien. — Et ſanctiſſimi domini felicis pape quinti oratorum et nunciorum reſponſuri ſumus, Verbum illud propheticum: Errauerunt ab utero, locuti ſunt falſa, imprimis noſtre conſiderationi occurrit &c. Toto Tractatu autoritas Conciliorum gen. ſupra Pontificem defenditur. Contra *Neutralizantes* ſub finem vertitur illud III. *Reg.* 18. *Usquequo claudicatis in duas partes* &c. et illud: *Apoc.* 3. *Utinam eſſes calidus aut frigidus* &c. additurque: *Non recta eſt quippe intencio neutralitatis viam amplectencium et dicentium: Cui parti alij adherebunt illam ſequimur.* Concludunt: *Et hec eſt pater optime ſententia et profeſſio veritatis noſtra, quam ex diuinis et canonum collegimus ſcripturis et quam in hac vniuerſitate pro fidei ſancte cuſtodia poſiti et regie maieſtatis ſtipendijs foti ſub vmbra protectionis veſtre quieſcentes cunctis qui zelum chriſtiane religionis habent quibusque ſalus cordi eſt et potiſſimum huic inclito regno amplectendam tenendam et profitendam perſuademus et predicamus.* &c. Nulla mihi Tractatus hujus jam alias hoc *Vol.* relati nota Editio, neque ſimile quid apud *Manſium* facile quaerendum.

III. *fol.* 97. *Gubernaculum Conciliorum.* Init directum ad Card. *Julianum de Ceſarinis* Conc. *Baſil.* Praefidem: *Ad perpetuam Conciliorum generalium memoriam* &c. et autorem habet *Andream de Eſcobar* Ep. *Megarenſ.* Poteſtatis conciliaris in Pontificem propugnatorem, cujus nomen tamen hic non exprimitur. Editum eſſe ab *Hermanno von der Hardt.* T. VI. *Conſtant.* p. 139. dixi *Vol.* I. P. 2. *col.* 1415.

IV. *fol.* 177. *Incipit tractatus Magiſtri Johannis de Segouia profeſſoris ſacre Theologie eximij editus in ſacro Baſilien. Concilio de eccleſiaſtica poteſtate*, vel, ut in calce: *Tractatus decem auizamentorum ex ſacra ſcriptura de ſanctitate eccleſie et generalis concilij auctoritate.* Initium eſt: *Apud ſapientes in deciſione queſtionum ac diſputacionum frequencia nec non per ipſos et alios quoſcunque de eccleſia prout eſt omnium in gratia* (magiſtra?) *fidelium ſepe mentio fit in communi ſermone* &c. Calci adjectus eſt Conſpectus *Aviſamentorum*, in quibus pleniſſime differitur de Eccleſiae Natura, Notis, Poteſtate, unde ad Conciliorum generalium autoritatem omni alia ſuperiorem defcenditur. Nunquam, quod ſciam, lucem vidit eruditus et moderatus hic Tractatus; Locum tamen ex eo carptum habes apud *Hermannum von der Hardt* in Praef. T. VI. *Rer. Concil. Conſtant.* p. 7. qui nobis *fol.* 255. legitur. An is e Codice, qui teſtibus *Spizelio de Bibliothecar. Arcanis*, *Aug. Patritio* in *Summa Concill. Baſil. et Florent.* et *Colomeſio* in *Hiſp. orientali* in Bibliotheca *Baſileenſi* ſervatur, adcerſitus fuerit, an proprio gaviſus *Hardtius*, incertum. *Eſcorialenſem*, quem citavit *Nic. Antonius*